



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale,|| In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

Capvt VI. De Ministro Confeßionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

te, manet ligatus. Eo autem soluente & remittente, soluitur ligatura. In foro contentiousio autem possunt Sacerdotes posituè soluere, & ligare per excommunicationem. Unde ratio diuersitatis satis appetet.

CAPVT VI.

De Ministro Confessionis.

Estne Sacerdos tām necessarius Minister Sacramenti Pœnitentiae, ut soli ipsi confiteri oporteat, et non alij?

Quæstio

I.

 **I**RCA Ministrum Sacramenti *Respoſio.*
Pœnitentiae declarauit S. Synodus Tridentina; falsas esse, & à
veritate Euangeli penitus alienas
doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, clauium ministerium perniciole extendunt;
putantes verba illa Domini: *Quæcunque aligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque solueritis super terrā, erūt soluta & in cœlo. Et quorū remiseritis pecca-*

Cōc. Trid.

Sessio. 14.

cap. 6.

Matth. 16.

K A ta, re-

Caput VI. De Ministro

ta, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt; ad omnes Christifideles indiferenter, & promiscue, contra institutionem huius Sacramenti, ita fuisse dicta, ut quiuis potestatem habeat remittendi pecca-

Cōc. Trid.

session. 14

Can. 10.

Matt. 16.

Ioan. 20.

ta. Quām sententiam etiam Canone isto cō-

firmauit: Si quis dixerit non solos Sacerdo-

tes esse ministros Absolutionis, sed omnibus,

& singulis Christifidelibus esse dictum:

Quæcunque ligaueritis super terram, erunt

ligata & in cœlo; & quæcunque solueritis

super terram, erunt soluta & in cœlo: Et

quorum remiseritis peccata, remittuntur

eis; & quorum retinueritis, retenta sunt:

Quorum verborum virtute quilibet absolu-

uere possit peccata, publica quidem, per cor-

reptionem duntaxat, si corruptus acquie-

rit; secreta verò per spontaneam Confessio-

nem; Anathema sit.

Quamuis præter autoritatem Concilij

non desint testimonia Scripturæ, & ratio-

nes maximi ponderis, quibus hæc doctrina

nittitur.

P R I M O enim exploratissimum est, à

Christo Saluatore nostro autoritatem li-

gandi, atque soluendi, seu retinendi, ac di-

mittendi peccata, non cuilibet è vulgo, or-

dine indiscreto(vt assuerant hæretici) sed

solis Apostolis, & per Apostolos eorum suc-

cessoribus, fuisse concessam: Petro enim, &

per Petrum Ecclesiæ Catholicæ dictum est:

Ettibi

Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quod- Matt. 16.
cunque ligaueris super terram, erit ligatum
& in cœlis, & quodcunque solueris super
terram, erit solutum & in cœlis.

Manasse hanc auctoritatem per Petrum in
cæteros deinde Apostolos Ecclesiæ, qui Pe-
tri fidem, & Confessionem de Christo,
quod esset Filius DEI viui, secuti sunt, o-
stendit idem Euangelista Matthæus, dum
postea, modico rerum posito intertiallo,
cunctorum Apostolorum explicans pote-
statem, quæ eadem cum Catholicæ Eccle-
siæ potestate est, subdit. Quod si non audi-
uerit eos, dic Ecclesiæ: Si autem Ecclesiam
non audiuerit, sit tibi sicut Ethnicus & pùb-
licanus: Amen dico vobis, quæcunque alli-
gaueritis super terram, erunt ligata & in
cœlo; & quæcunque solueritis super terram,
erunt soluta & in cœlo.

Quod autem Apostolis solummodo haec
tanta sit tributa facultas, & non passim cui-
libet è vulgo, Diuus Ioannes Euangelista
clarè & luculéter ostendit, dum refert Chri-
stum in Apostolos insufflasse, atque dixisse:
Accipite Spiritum sanctum, quorum remi- Ioan. 20.
seritis peccata, remittuntur eis, & quorum
retinueritis, rétentia sunt.

SECUNDO sic probatur, Gratia quæ
per Sacra menta confertur, à Christi capite
deriuatur, qui sua passione nobis eam pro-
meruit; Decuit ergo illos solos, qui potesta-

K 5 tem ha-

Innocent.
prim. Au-
relio, item
Siluano.
Vide Aug.
To. 2. epi.
91. & 93.
Matt. 18.
Vide Be-
dam infrà
in cap. de
Clauibus.

Caput VI. De Ministro

tem habent in corpus Christi verum, ministros esse Sacramentorum; per quæ eadem gratia deriuatur in corpus mysticum; illi autem sunt soli Sacerdotes, quales fuerunt Apostoli in cœna initiati ad Christi corpus consecrandum: Ergo illi soli sunt Sacramentorum ministri, iuxta verbum Pauli: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi &c. Et potissimum Sacramenti Pœnitentiae, per quod homines idonei sunt ad suscipiendum corpus Christi verum in Eucharistia.

TER TIO, Christus instituit singuliter Sacra menta, quæ suæ in nos demandæ gratiæ essent instrumenta; ergo & singulares ministros. Consequentia inde comprobatur, quod cum in Republica civili iudicia constituuntur publica, etiam ministri ordinantur, quibus solis illa administratio incumbat. Ut est videre in Regibus, Consulibus, Praetoribus, & in cunctis, penes quos est iuris potestas. Multis ergo nominibus aquilis fuit, ut Diuina sapientia Sacramentorum administrationem, quibus suam gratiam hominibus impartitur, non quibus cunque permitteret; sed selectis ministris, & ad id muneric obeundum idoneis comitteret, quales sunt Sacerdotes; iuxta verbum Pauli ad Ephesios: Dedit quidem quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios autem Pastores; quo nomine intelliguntur Prælati.

Tene-

1. Cor. 4.

Ephes. 4.

*Teneturne quispiam in absentia Sa-
cerdotis, laico confiteri?*

Quæstio

II.

Respoſio.

NEC DIUINUM nec humano iure quisquam ob-
stringitur ad Confessionem laico faciendam.

PRIMVM patet; quia ius DIUINUM,
vnde necessitas confitendi deducitur, solùm
postulat Confessionem faciendam esse Sa-
cerdotibus. Nam ad solos Sacerdotes dixit
Christus: Quorum remiseritis peccata &c. *Ioan. 20.*

Igitur ubi non habetur copia Sacerdotis, nō
tenetur peccator homini laico confiteri;
Præsertim cùm nullus casus ipsis tribuat spi-
ritualem absoluendi potestatem.

SECVNDVM etiam patet; quia potif-
fimū ius humanum de confitendo est Cap.
Omnis utriusque sexus &c. Hoc autem non
obligat, nisi ut semel in Año quisque confe-
tatur proprio Sacerdoti; ex nullo igitur iure
deduci potest necessitas, confitendi laico.

TERTIO idem patet; quia Confessio,
quam D E V S & Ecclesia iubent, est Confes-
sio Sacramentalis; Ea autem quæ laico fit,
non est talis, nec esse potest, ob defectum mi-
nistri, q[uod] necessariò debet esse Sacerdos; quare
Confessio facta laico, nunquam cadit sub
præcepto DIUINO, vel humano, neque gra-
tiam ullam conferre posset. Vnde, si in arti-
culo mortis peccator careat copia Sacerdotis,
non tenetur homini confiteri, sed sufficit, si
D E O contritus confeatur.

K 6

Si tamen

Caput VI. De Ministro

Si tamen vlo vnquam tempore, aut loco vsus obtinuit, vt, vrgente necessitate, in absentia Sacerdotis, laici Confessiones exciperent, id omnino de peccatis manifestis, non autem occultis, intelligi debet. Nam cum Confessio, quæ fit laicis, non fit Sacramentalis, nec ullam omnino gratiam conferat; non fit probabile, ullam usque extitisse legem aut consuetudinem, quæ obligaret ad Confessionem occultorum laicis faciendam; fuisse enim talis lex intolerabilis.

*Quæstio
III.*

Expeditne in necessitate laico confiteri?

Respoſio. Tales Confessiones nunc non sunt visita-
tæ, neque etiam consulendæ, eò quod plus possint detrimenti, cum famæ & vita periculo afferre, quam spiritualis emolumen-
ti: attamen si quis sua sponte laico con-
fiteri velit, non prohibetur, modò vt id fa-
ciat eo fine, si doctus sit, vt habeat salutare
confilium seu consolationem; tūm etiam, vt
ob verecundiam, quam patitur, maius con-
sequatur meriti augmentum: Non tamen
eo fine, vt Absolutionis particeps fiat. La-
icus autem, qui excipit tales Confessionem,
tenetur ex iure naturali secretò tenere, quæ
per Confessionem intellexit, sub poena pec-
ati mortalis.

Pote-

Potestne quis saltem venalia peccata Quæstio
laico confiteri, & per eum ab IIII.
iisdem absolui?

Laicus non potest absoluere quenquam à *Respoſio.*
peccatis venialibus. Nam licet huiusmo-
di peccata non sint de essentia Confessionis:
Absolutio tamen pertinet ad potestatē Ec-
clesiasticam, qua laici non pollut. Sed nec
eorum deprecatoria Absolutio valet ad ve-
nialium remissionem, sicut Aqua benedicta,
vel Episcopalis benedictio.

Veruntamen, si laicus sit vir probus, pru-
dens, & grauis, nihil prohibet ei confiteri;
imò profuerit multūm, cùm propter vere-
cundiam, quæ pœnitentem adducere potest
ad veram contritionem, tūm etiam, quod ab
huiusmodi laico cōfiliis possit iuuari. Quod
si tali in casu fiat Confessio, summo pere ca-
ueat laicus, ne Sacramentalem impēdat Ab-
solutionem: sed hæc duntaxat verba profe-
rat: Misereatur tui omnipotens DEVS, &c.

Incurrítne laicus absoluens Sacramen- Quæstio
taliter aliquam pœnam Ec- V.
clesiasticam?

Præter grauissimum sacrilegium, quod ad- *Respoſio.*
mittit laicus, absoluendo Sacramentali-
ter, etiam incurrit notam irregularitatis se-
K 7 cundūm

Caput VI. De Ministro

cundūm communem Doctorum sentētiam,
nisi fortè excusaretur inuincibili ignorantia,

Quæstio Nunquid SS. Patres & veteres Do-
VI. ctores Ecclesiæ, hanc Confessionis au-
diendi, hoc est, soluendi & ligandi
poteſtatem, etiam ſolis Sacer-
dotibus tribuere?

Reſpoſio. **M**aximè, idq; ex verbis illorum propriis
liquidò conſtat.

Cle. in epi. Clemens, Petri Apoſtoli diſciplulus, certè
ad Iac. fra- teſtatur, Petrum, dum ſe traditaſbi à Do-
trem Dñi. mino donaret poſteſtate, ſibi dixiſſe: Propter
quod iſi trado à Domino mihi traditam
poſteſtatem ligandi, & ſoluendi, ut de omni-
bus, quibuscunque decreuerit in terris, hoc
decretum fit & in cœlis: Ligabit enim quod
oportet ligari, & ſoluere, quod expedit ſolu-
tanq; qui ad liquidū Ecclesiæ regula nouerit.

Orig. super Leuit. ho- mel. 2. Originis verò verba ſic habent. Eſt adhuc
& ſeptima, licet dura & laborioſa per Pœni-
tentiam remiſſio peccatorū, cùm lauat pec-
Pſal. 6. & cator in lachrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei
41. lachrymæ ſuæ panis, die ac nocte, cùm non
erubescit Sacerdoti Domini indicare pecca-
tum ſuum, & querere medicinam ſecundū
eum, qui ait: Dixi, conſitebor aduersum me
iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſſiſi
impietatem cordis mei, In quo impletur &

Pſal. 31. illud,

illud, quod Iacobus Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesie.

Athanasius hoc ipsum etiam confirmat, Athana. in dicens: Si nondum soluta sunt tibi vincula, serm. super trade te ipsum discipulis I E S V : Adsunt illa verba: enim qui soluunt vos, potestate hac à Serua- Euntes in tore accepta, quoniam quicquid ligaueritis vicum, qui super terram, erit ligatum, inquit, & in cœ- contra vos lo; quicquid solueritis super terrā, erit solu- est &c. tum & in cœlo.

Matth. 21.

Et D. Ambrosius, dum in Nouatianos in- Matth. 18. uehitur: Sed aint, se Domino deferre reue- Amb. li. 1. rentiam, cui soli remittendorum criminum de Poenit. potestatem reseruent; imò nulli maiorē in- ca. 2. iuriā faciunt, quām qui eius volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cùm ipse in Euangelio suo dixerit Do- minus I E S V S: Accipite Spiritum sanctū, Ioan. 20. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: Quis est ergo, qui magis honorat, utrum, qui mā- datis obtemperat, an qui resistit?

Hieronymus idē confirmat, scribens: Sed Hier. in E- de hoc gradu pulsus, prouocabis ad Clericos, pīst. ad He- an de his aliquid audeam dicere, qui certè in liodorum. suis vrbibus commorantur? Absit, vt de his quicquam finistrum loquar, qui Apostoli- co gradui succedentes, Christi corpus sacro ore cōficiunt, per quos & nos Christiani su- mus; qui claves regni cœlorū habentes, quo- dammodo ante iudicij diem iudicant.

Item

Caput VI. De Ministro

Aug. in li. Item B. Augustinus in eo opere, quod de Pœnitentia medicina inscripsit, ubi multa medicina de Confessione, quæ Sacerdoti fit, docte, ele- que est ho- ganterque locutus est, ait: Iudicet ergo se- mil. 50.

ipsum homo voluntate, dum potest, & mo- res conuertat in melius, ne cum iam non po- terit, etiam præter voluntatem à Domino iudicetur; & cum in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ senten- tiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, & tanquam bonus incipiens esse filius, maternorum mem- brorum ordine custodito, à Præpositis Sa- cramentorū accipiat satisfactionis suæ mo- dum; & supplex.

Chrys.lib. Chrysostomus hoc idem fatetur, dicit: 2. & 3. de Sicut Pater tradidit potestatem Filio iudi- Sacerdo- cium faciendi; sic Filius Sacerdotibus. Et in- frā: Insania manifesta est despicere tantum principatum, sine quo, neque salutis, neque promissorum bonorum compotes fieri pos- sumus: Hi sunt enim, qui non tantum rege- nerant nos in Baptismo; sed peccata post Ba- ptismum remittunt, & veteris Testamenti Sacerdotes longè exuperant, qui tantum po- testatē habebat probandi à lepra purgatos; at nostris Sacerdotibus nō corporis lepram, verū animæ fortes non modo probare, sed & purgare prorsus concessum est. Reliquos breuitatis studio prætero.

Quidnam

*Quidnam Sacerdotes post DEVMin Quæstio
remissione peccatorum operantur?* VII.

*I*psius tantum DEI est, hominem per in-
ternam cordis compunctionem excitare à
morte; sed ad Pastores Ecclesiæ deinde spe-
ctat, suscitatum à DEO, soluere à peccato-
rum vinculis, poenā, ut ait Gregorius, amo-
uere, quam meruit, & ab aliquo temporario
etiam alterius seculi flagello eruere & libera-
re.

Tho. 3. p.
in add. q.
18.artic.2.

CHRISTVS igitur mortuum suscitat,
sed Apostoli soluunt; ille vitæ restituit, hi
peccatorum auferunt onus; ille ad Ecclesiam
mittit, hi intra Ecclesiam recipiunt. Hæc au-
tem omnia, quæ Apostoli faciunt, vt mini-
stri Christi, & per virtutem Spiritus sancti
faciunt.

*Absolutne malus Sacerdos æquè
ut bonus?* Quæstio VIII.

*D*ubium non est, quin, quod cùm vterque
potestate Diuina, non facultate propria,
aut meritis, peccatorē absoluat, æquè vterq;
absoluat. Dicitum enim est à Christo: Acci- Ioan. 20.
pite Spiritum sanctum, quorum remiseritis
peccata, remittuntur eis; & quorum retinue-
ritis, retenta sunt. Cùm igitur per Spiritum
sanctum dimittantur peccata, impedimen-
tum nullum est, quin ille, tam per bonos,
quam

Caput VI. De Ministro

quām per malos æquè operari possit; quia
Ioan. 11. & per Caypham Spiritus sanctus, propterea
Matth. 23. quod esset Sacerdos, locutus fuit; & Moysis
decreta ac leges, etiam in pessimis Phariseis
Christus defendit. Diuinum itaq; institutū
hominis malitia nequaquā tollit; quod Tri-
dentinū Concilium etiam hoc Canone cō-
Cō. Trid. firmauit: Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in
Sess. 14. peccato mortali sunt, potestatem ligandi, &
Can. 10. soluendi non habere Anathema fit.

Quæstio Potestne peccator in articulo necessita-
IX. *tis, & cum alterius idonei copiam non*
habet, Sacerdoti nominatim excom-
municato, confiteri?

Respoſio. EXcepto Baptismo, nullū aliud Sacra-
mentum potest recipi de manu hæretici, aut
excommunicati. Nam recepta à præcisis,
aut hæreticis, etiam in articulo mortis mi-
nistrata, aut nullum, aut lethalem habent
effectum.

SECVNDO, idem patet; si Sacerdos est
nominatim excommunicatus, nō habet po-
testatem propinquam soluendi, & ligandi;
ac proinde peccator, qui non habet Sacer-
dotē, cui confiteatur, nisi excommunicatū,
perinde est, ac si copiam non habeat Confel-
loris; & ita non tenetur illi magis quām lai-
co confiteri,

Pofuntne

Poſſuntne Sacerdotes pro voluntatis Quæſtio
libito inſontes damnare, et fon- X.
tes abſoluere?

IN abſoluendo magna debet eſſe Sacerdotū Respoſio.

Circumſpectio, ut non facilē quenquam abſoluant, niſi illum peccati poeniteat, ani-
que dolorem aliquo exteriori explicet ſigno:
Quia ſolui ab homine non potest, qui prius
à D E O fuſcitatus non eſt. Tunc enim, ut
inquit Gregorius, vera eſt Absolutio Sacer-
dotis, cùm ſuperni arbitriū ſequitur Iudicis.

CHRISTVS Mariam Magdalena-
m, omni ſcelerum genere irretitam, non abſol- Luc. 7.
uit, niſi poſt lachrymas, & animi contritio- 2. Reg. 11.
nem; & Dauid audire nō potuit à Propheta
Nathan; Dominus tranſtulit peccatum tuū,
niſi poſtquām ipſe ingenti cum dolore con-
fessus eſt ſe peccaffe. Ligādus eſt itaq; primū
peccator, & Pœnitentiæ legibus ſubiicien-
dus, poſtremō à peccatorum vinculis abſol-
uendus,

Inſontes verò damnare, & fontes non pœ-
nitentes abſoluere, Ecclesiæ clavis non valet.
Ligandum enim eſt (vt ſcribit Clemens Clem. epi.
Martyr) quod oportet ligari, & ſoluendum, 1. ad Iaco.
quod expedit ſolui. frat. Dom.

Apostoli, ut ex Nicēna altera Synodo ap- Can. Apo.
paret, damnant Presbyterū, qui conuerſum, 51. citatur
& pœnitentem peccatorem non recipit, & à Nicēna
abſol-

Caput VI. De Ministro

Synod. 2. absoluit, ita enim scribunt: Si quis Presby-
act. 1. Ve- terum, qui à peccato conuertitur, non rece-
rūm cita- perit; sed reiicit, deponitro; siquidem Chri-
tur p Can. istum offendit, qui gaudiū in coelo super pec-
53. cato rem resipiscentem oboriri dixit.

Luc. 15. Et B. Hieronymus reprehendit Episco-
Hier. super pos, & Presbyteros, qui vel damnant, vel ab-
Matt. c. 16. soluunt immeritos.

Questio XI. Debētne Sacerdos imperfectē do- lentem absoluere?

Respoſio. **S**i quis imperfectē doleat, & hāc doloris in-
ſufficientiam conſiteatur, Sacerdos nul-
lo modo debet talem absoluere, patet mani-
festē; quia in forma Absolutionis: Ego te ab-
ſoluo ab omnibus peccatis tuis, fictionem
committeret, pronuntians ſe peccata remit-
tere, quibūs tamen poenitens adhuc manet
obligatus.

Item, qui ſcit imperfectionem doloris ſui,
peccat peccato sacrilegij, petendo Absolu-
tionem; Ergo multò magis Sacerdos abſoluens:
Nā quōd aliquis obiicere poſſet, omnes
in Confessione dicere, ſe nō habere dolorem
ſufficientem; Respondetur, quōd ita conſi-
tentur propter ſuſpicionem, quam habent,
vel etiam propter animi humilitatem. Si au-
tem ſcirem me imperfectē dolere, nec debe-
rem petere Absolutionem, nec Sacerdos de-
beret absoluere. Confessio autem ſecundūm

S. Tho.

S. Thomam valida & nō iteranda est, quando non percipit pœnitens imperfectionem doloris & absoluatur.

Potestne Sacerdos pœnitentem, cuius Confessionem non audiuit, Sacramentaliter absoluere?

Certissima fide credendum est, nullum pœnitentem extra casus infirmitatis sūprā positos, citra legitimam peccatorū Confessionem absoluendū esse. Sic enim in Concilio Tridentino definitum legitur: Si quis dixerit; non requiri Confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eñi absoluere possit; Anathema sit.

*Cō. Trid.
Sess. 14.
Can. 9.*

Possuntne Sacerdotes omne peccatum remittere?

*Quæstio
XIII.*

CHISTVS vnum tantūm peccatum, quod in Spiritum sanctum dicitur, à remissionis exclusit remedio. Ioannes Apostolus prædilectus discipulus, qui in finu eius recumbens, secreta cœlestia didicit, & enarravit nobis, peccatum ad mortem hoc vocat, & quoniam remissionem non habet, orari pro eo negat, dñs ait: Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem; est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget.

1.Ioan.5.

Caput VI. De Ministro

roget quis: Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum ad mortem.

Aug. Boni- Peccat autem in Spiritum sanctum quis,
facio Co- pluribus modis, verum absq; remissionis spe
miti de mo is tantum, scilicet, qui aut Christi fidem, &
deratè co- agnitam Spiritus sancti veritatem ex profes-
ercēdis hē- so, consultoq; oppugnat, & in oppugnatio-
retic. epist. ne, obstinato animo perseverat; aut maius
50. circa fi- appellat peccatum suum, quam per Spiritum
nem. sanctum, a quo omne donatur peccatum, re-
mitti possit.

P R I M O modo peccarunt Iudei, dum Christum ex miraculis agnitus, & in virtute Spiritus sancti operantem, expellentem;

Matth. 12. Dæmonia, in Beelzebub tamē principe Dæmoniorum, illum hoc facere affluerârunt, & ea in obstinatione perseverârunt.

A L T E R O peccauit Cain, dum dixit:

Genes. 4. Maius est peccatum meum, quam ut dimittatur.

Matth. 27. Et Iudas Iscarioth, qui de immensa Spiritus sancti charitate diffidens, agnito peccato, non supplex ad Diuinam misericordiam accessit, sed illud irremissibile ratus, abiit longè ab ea, & laqueo se suspendit.

Non remittitur ergo peccatum, quod aut non emendatur, aut remitti non posse putatur; quia in Spiritum sanctum peccat, & in eo peccato perseverat, qui aut Spiritum sanctum obstinatus oppugnat, aut eum remittere non posse peccatum a se perpetratum, existimat. Itaque dum aut impugnando,

a*pp*

aut etiam detrahendo offendit, indignus fit,
vt ab eo per remissionem iuuetur, cūm nul-
lum peccatum, nisi quis ab eo se subtrahat, et
remissibile existimet, remittatur.

*Cūm Sacerdotes possint omne peccatum remittere, cur Pontifex, & Episco-
pi sibi aliquos casus re-
seruant?*

*Quæstio
XIII.*

*R*atio regiminis exposcit, vt grauiora pec- *Respoſio.*
cata, grauiori iudicio subdantur; tū ut
meliū corrigi possint; tū ut si sint in Rem-
publicam pestifera, commodius adhibeatur
remedium; tūm præsertim, vt acriori metu
correpti homines, & nefarij ab huiusmodi
sceleribus arceantur.

Quapropter nō absque mysterio singu-
lariter Petrus quæsiuit, quoties peccanti re- *Matth. 18.*
missionem indulgeret, eiq; peculiariter re-
sponsum est, vt septuagies septies; nempe
quia plenissima omnium remittendi iuris-
dictio penes ipsum manebat, quæ in inferio-
res ab illo deriuaretur. Absolutio enim, quæ
vi clauium fit, nō solùm characterem requi-
rit, verùm & Iurisdictionem, ratione cuius
grauiora crima potest Superior ob præfa-
tam rationem reseruare.

Ratio itaque, & fundamentum huius re-
seruationis est iurisdiction, quam quisq; tan-
tam

Caput VI. De Ministro

tam habet, & non maiorem, quantā accepit
à suo Superiore. Vnde Pontifex Maximus
qui habet supremam iurisdictionem spiri-
tualē in Repub. Christiana, ex legitima cau-
sa potest iudicio suo reseruare quæcunq; cri-
mina, quascunq; personas, quascunq; etiā p-
uincias; eandem potestatem habet Episcopus
in sua dioecesi, & Parochus in sua parochia.

*Quæstio XV. Potestne Superior pro arbitratu suo,
quosuis casus reseruare?*

Respōsio. Distinctione hīc opus est. Nam si ministri
sint delegati tantum & extraordinarij,
carentes videlicet ordinaria absolueendi iu-
risdictione: tunc Superior eis tantam con-
cedere potest autoritatem, quantā velit, nec
ulla afficit eos iniuria, etiam si minimā con-
cesserit, cūm nullam eis debeat.

At si inferiores fuerint ordinarij, quales sūt
Parochi, religionum Prælati, & Episcopi, nō
potest Superior pro libitu suo quosuis casus
reseruare. Nam cūm ipsi sint ordinarij, qui
nisi impedianter, ab omnibus possunt absolu-
uere, non potest Superior nec debet, nisi id
hono cōmuni viderit expedire, illos sua po-
testate fraudare; præsertim, si suam iurisdi-
ctionem iure Diuino, & non ab Episcopo
habeant.

Imò tantus esse potest abusus reseruatio-
nis, vt Parochi non teneantur Superiori pa-
rere;

rere; sed eo inconsulto possent à reseruatis il-
lis absoluere; potissimum cùm nimiae reser-
uationes fint in grauamen populi.

Est tamen adhibenda prudentia, et confi-
lum super huiusmodi minutioribus casibus
reseruatis, ne sine caussa inferiores inobediē-
tes iudicentur.

*Quomodo peccata reseruata sunt
confitenda?*

*Quæstio
XV I.*

Respoſio.

Si contingat aliquem confitentem habe-
re aliqua peccata reseruata, huiusmodi de-
bet accedere suum Superiorem, cui scilicet
reseruata sunt, & illi confiteri omnia, tām
reseruata, quām non reseruata, & absolui ab
omnibus.

Hæc quest.
tractatur
etiam in 3.
ca. circa in-
tegritatem
Confessio-

Vel ab eo petere facultatem, vt liceat pro-
prio Parocho singula confiteri, & ab omni-
bus absolui.

Vel confitens potest mittere Confessā-
rium, vt impetrat veniam absoluendi. **Q**uod
si autem non patet accessus ad Superiorem,
potest contritus, & de reliquis confessus, &
absolutus, communicare; præsertim, si pec-
catum reseruatum non habeat secum anne-
xam excommunicationem, & ipsa commu-
nio differri nequeat absque scandalo.

L *Potestne*

Caput VI. De Ministro

*Quæstio
XVII.*

Potestne quilibet Sacerdos unumquemque in articulo mortis, à quibus cunctis peccatis et censuris absoluere?

Respoſio. Si proprius Sacerdos sit ibi, vel possit facile haberi, non potest, nifi ab eo absolui. Si autē res versetur in articulo mortis, & haberi non possit copia proprij Sacerdotis, potest quisque per quencunque Catholicum Sacerdotem absolui; non solum à quibus cunctis peccatis, quantum cunq; , vel à iure, vel ab homine reseruatis; verū etiā à quacunque Ecclesiastica censura; idq; probatur.

PRIMO, quod necessitas spiritualis, multò maior est, quam temporalis; sed in extrema necessitate potest quis uti pane et realiena, inuitio Domino; ergo in illa necessitate spiritualis salutis potest quisque ab alieno Sacerdote absolui. Cùm vero Sacramentum hoc, sit in remissionem peccatorum institutum, & articulus mortis sit, ubi res agitur, aut perpetuæ felicitatis, aut perpetuæ damnationis, nō ageret Ecclesia, quia spiritu sancto gubernatur, secundum amplissimam DEI misericordiam, si non omni remedio exeunti ab hac luce promptissimè succurreret; atque adeò, si aliquid tunc peccatum reseruatum vellat, aut aliquem

Sacer-

Sacerdotē suspensum, ne munus Absolutio-
nis impenderet.

SECVNDO, idem probatur ex usu &
vniuersali consuetudine Ecclesiæ: Quando
enim Papa, vel Episcopus reseruāt aliquem
casum, semper excipiunt articulum mortis,
in quo etiam possunt absoluī, non solū
a peccatis, sed etiam a censuris. Item ex te-
nore omnium Canonum pœnitentialium,
qui vbiique hoc habent, ut moribundis non
negetur beneficium Absolutionis.

Quisnam dicitur articulus mortis?

Quæstio

XVIII.

Respoſio.

A Liqui vocant articulum mortis, non so-
lū, cùm quis est morti proximus; sed
etiam, dum quis se obiicit periculo mortis;
nimirū, quando vel prælium, vel mare est
ingressurus. Verū hoc est nimiū exten-
dere priuilegium Absolutionis; cùm mul-
tum discriminis sit inter articulum & peri-
culum mortis.

Alij igitur rectius definiunt articulum
mortis; Tempus, cùm mors iā est in fine per
causam naturalem, aut violentam; nempe,
aut per infirmitatem, aut dum ministerio
iustitiae quis est interficiendus. Et in his
tantū casibus licet cuicunque Sacerdoti
quemlibet absoluere; secus de periculo mor-
tis.

Nihilominus, ne nimis scrupulosè scrute-

L 2 mur

Caput VI. De Ministro

mur hunc articulum mortis, consultò remedium Eucharistiæ, & Absolutionis Sacramentū adhibetur, cùm medici iam ferè desperant, & certa futuræ mortis argumenta deprehendunt.

Quæstio XIX. *Teneturne quilibet proprio suo Sacerdoti confiteri?*

Respōsio. **A**D Confessionis essentiam absolutè necessarium est, ut Confessio fiat aut proprio Sacerdoti, aut ei, cui proprius vices suas commendauit.

Probatur PRIMO. Quia Confessio Sacramentalis absq; iurisdictione constare nequit; atqui soli ordinarij & eorū vicem gerentes, iurisdictione pollent; Solis igitur illis fieri debet.

SECUNDO. Quiemadmodum Episcopus extra suam Diocesin nihil potest, ita neque Parochius extra suam Parochiam. Si itaque poenitens salutarem vult obtinere Absolutionem: necessarium est, vt non alieno; sed proprio Sacerdoti, quiq; in ipsum habeat imperium, sua confiteatur peccata,

TERTIO, probatur ex illo Concilij Cōc. Trid. Lateranensis Can. Omnis vtriusq; sexus &c. Sess. 14. Similiter ex definitione Concilij Florentini Can. 6. & Tridentini, cuius verba sunt: Si quis dicit Item ca. 6. xerit, modum secretè confitendi soli Sacerdotei, quem Ecclesia Catholica ab initio semper

per obseruauit, & obseruat, alienū esse ab in-
stitutione & mandato Christi &c. Anatha-
ma sit.

Quæstio

XX.

Respoſio.

Proprius Sacerdos idem est, quod ordina-
rius, cui nimis ex proprio officio &
iurisdictione cura animarum incumbit, &
iudex est in foro Pœnitentiæ: Nam proprius
distinguitur à delegato, & qui ex commis-
sione absoluit, non est proprius Sacerdos. Aliud
enim est, esse legitimum, & aliud proprium;
ut proprius fit ordinarius; legitimus tamen
est, quicunq; id potest, siue propria, siue co-
missâ autoritate.

Tres ergo sunt cuiuscunq; secularis Chri- Proprii Sa-
stiani proprii Sacerdotes: Nempe, Romanus cerdotes
Pontifex, qui est Vniuersalis totius Ecclesiæ, tres.
vt patet ex illo dicto Christi: Pasce oves me- Ioan. 21.
as. Et Episcopus in suo Episcopatu, iuxta il-
lud Actorum: Attendite vobis & vniuerso Acto. 20.
gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit E-
piscopos, regere Ecclesiam Dei. Et Parochus
in sua parochia; Qua de re Paulus ad Titum
ita scribit: Et constituas per ciuitatem Pres- Tit. 1.
byteros &c. Nā Archiepiscopus non est pro-
prius Sacerdos in Episcopatu Suffraganei, li-
cet habeat iurisdictionem super Episcopum
in foro exteriori.

Suntne iure Diuino aliqui proprij,
an tantum positivo? *Quæstio*

XXI.

L 3

Iure

Caput VI. De Ministro

Respoſio. IVre Diuino aliqui ſunt proprij & ordinarij, aliqui vel nulli, vel ſaltem extraordi- narij: Et ratio eſt, quia Sacerdos in ſua or- dinatione nullam accipit iurisdictionē; ſed tantum ordinis potestatē. Ordinis au- tem potestas abſque iurisdictione non ſuf- ficit, ut quiſquam conſtituatur Iudex in fo- ro Eccleſiaſtico, tam interiori, quam ex- teriori.

**Quæſtio
XXII.**

*Licetne ex priuilegio et commiſſione
proprij Sacerdotis, alteri
confiteri?*

Respoſio. OMnis & ſolus ordinarius, qui propriam habet animarum curam, ſi non fuerit prohibitus iure, potest cuicunque alteri Sa- cerdoti iure non impedito, concedere facul- tatem abſoluendi ſuos ſubditos.

Delegatus autem, hoc eſt, cooperator, ſeu Vicarius non potest hoc, niſi expreſſum ha- beat ſui Superioris mandatum.

Probatur ex uſu Eccleſiae. Secundò pro- batur, niſi id fieri poſſet, cederet hoc in ma- ximum Christianorum detrimētum. Sunt enim ordinarij ſæpenumerò vehementer impediti; ita ut non ſint omnium Confef- ſionibus excipiendis pares. Iam ſi huiusmo- di in caſib⁹ non liceret aſciscere Vicarios, multi paſſim interirent ſine Sacramentis.

Dixi, ſi non fuerit prohibitus iure. Nam nomina-

per obseruauit, & obseruat, alienū esse ab in-
stitutione & mandato Christi &c. Anatha-
ma sit.

Quæstio

XX.

Respoſio.

Proprius Sacerdos idem est, quod ordina-
rius, cui nimis ex proprio officio &
iurisdictione cura animarum incumbit, &
iudex est in foro Pœnitentiæ: Nam proprius
distinguitur à delegato, & qui ex commis-
sione absoluit, non est proprius Sacerdos. Aliud
enim est, esse legitimum, & aliud proprium;
ut proprius fit ordinarius; legitimus tamen
est, quicunq; id potest, siue propria, siue cō-
missa autoritate.

Tres ergo sunt cuiuscunq; secularis Chri- Proprii Sa-
stiani proprii Sacerdotes: Nempe, Romanus cerdotes
Pontifex, qui est Vniuersalis totius Ecclesiæ, tres.
vt patet ex illo dicto Christi: Pasce oves me- Ioan. 21.
as. Et Episcopus in suo Episcopatu, iuxta il-
lud Actorum: Attendite vobis & vniuerso Acto. 20.
gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit E-
piscopos, regere Ecclesiam Dei. Et Parochus
in sua parochia; Qua de re Paulus ad Titum
ita scribit: Et constituas per ciuitatem Pres- Tit. 1.
byteros &c. Nā Archiepiscopus non est pro-
prius Sacerdos in Episcopatu Suffraganei, li-
cet habeat iurisdictionem super Episcopum
in foro exteriori.

Suntne iure Diuino aliqui proprij, . *Quæstio*
an tantum positivo? *XXI.*

L 3

Iure

Caput VI. De Ministro

Respoſio. IVre Diuino aliqui ſunt proprij & ordinarij, aliqui vel nulli, vel ſaltem extraordi- narij: Et ratio eſt, quia Sacerdos in ſua or- dinatione nullam accipit iurisdictionē; ſed tantum ordinis potestatē. Ordinis au- tem potestas abſque iurisdictione non ſuf- ficit, ut quiſquam conſtituatur Iudex in fo- ro Eccleſiaſtico, tam interiori, quam ex- teriori.

**Quæſtio
XXII.**

*Licetne ex priuilegio et commiſſione
proprij Sacerdotis, alteri
confiteri?*

Respoſio. OMnis & ſolus ordinarius, qui propriam habet animarum curam, ſi non fuerit prohibitus iure, potest cuicunque alteri Sa- cerdoti iure non impedito, concedere facul- tatem abſoluendi ſuos ſubditos.

Delegatus autem, hoc eſt, cooperator, ſeu Vicarius non potest hoc, niſi expreſſum ha- beat ſui Superioris mandatum.

Probatur ex uſu Eccleſiae. Secundò pro- batur, niſi id fieri poſſet, cederet hoc in ma- ximum Christianorum detrimētum. Sunt enim ordinarij ſæpenumerò vehementer impediti; ita ut non ſint omnium Confef- ſionibus excipiendis pares. Iam ſi huiusmo- di in caſib⁹ non liceret aſciscere Vicarios, multi paſſim interirent ſine Sacramentis.

Dixi, ſi non fuerit prohibitus iure. Nam nomina-

nominatim excōmunicati, hæretici & manifesti, Sacerdotes percussores non possunt vices suas aliis committere: Nam huiusmodi commissio requirit iurisdictionem; illi autem habent suam iurisdictionem impenitam: Quare, sicut tales non possunt committere; ita alij ab iisdem non possunt excipere.

Licetne ex priuilegio Superioris alteri confiteri, quām proprio Sacerdoti?

Quæstio:
XXIII.

Licit. Ea enim quæ sunt ordinis, potest *Respoſio.*
proprius Iudex cuicunque eiusdem ordinis committere; cùm Sacramentum Pœnitentiæ administrare, sit Sacerdotalis ordinis, & Episcopus sit proprius Sacerdos, & Iudex eiusdem Sacrameti, potest idem munus cuilibet Sacerdoti cōmittere: Nam pari iure, & casus sibi aliquos reseruare potest.

Ideoque concessio facta Religiosis mendicantibus audiendi Confessiones populi, sicut prouida, & sancta, & in fauorem populi facta, eorumque adeo communi bono præcipue conducens. Est enim Confessiorum conditio, vt vitæ in primis, deinde scientiæ, & prudentiæ dignitate polleant; hoc autem non est (vt citra cuiuspiam iniuriam loquamur) cur nequeat perinde in Religiosis inueniri, qui clauſtris inclusi, literis vacant, vt

L 4 in

Caput VI. De Ministro

in secularibus, imò plerunque sunt, & vita sanctiores, & scientia ampliores, nec nō minoribus obruti occupationibus, quām Plebani.

Adde, quod cūm nō sint aliis negotiis implicati, expeditius possunt Confessionibus audiendis operam dare, praterquam, quod cūm temporalia metant, quibus aluntur, debent, ut ait Paulus, Spiritualia in populum refundere.

Experientia profecto docet, tantum emolumenti religiosorum curam in Confessionibus audiendis, & concionibus habendis Christianis populis indies afferre ut eis sublati, nō possent Ecclesia non multū detrimenti accipere.

Quæstio XXIII. Teneturne Parochis suis iterum confiteri, qui Religiosis priuilegiatis semel confessi sunt?

Respoſio. NEquaquam. Nam Religiosi priuilegia ti vel verè absoluunt, vel non absoluunt: Si nō absoluunt, igitur nullum habent priuilegium; imò laqueum omnibus iniiciunt, & verum sacrilegium committunt, ut qui conantur eos absoluere, qui absoluī non posseunt.

Si autem absoluunt, verè absoluunt, igitur nemo potest de illis confessis denuò ad confitendum compelli. Et ratio est, quia Sa-

crat.

cramentum Confessionis est institutum in peccatorum remissionem. Qui igitur absolvitur, nulla habet peccata mortalia. Quare nec potest cogi ad Confessionem.

Quā magna autem Religiosi huiusmodi habeant priuilegia, hoc facilē est videre in eorum diplomatibus, quæ diuersa à diuersis Pontificibus impetrarunt, vt ab Alexandro quarto, Vrbano quarto, Ioanne Vigesimo secundo.

*Licētne absque facultate proprij Paro-
chi, laborantis aliquo vitio, ita vt non
satis tutum sit exponere illi pec-
atum, alteri confiteri?*

*Quæstio
XXV.*

Sola culpa proprij Sacerdotis, cui scilicet *Respoſio.*
periculosum est cōfiteri, quia vel est Cō-
fessionum detector, vel solicitator poeniten-
tium ad malum, nō facit ius subdito, vt abs-
que eius obtenta licentia, alium adire valeat
Confessarium, & ratio est; quia nullus alijs
propter illam solam nequitiam iurisdictio-
nem acquirit absoluendi, nec subditus illam
potest ei tribuere, & absq; iurisdictione nul-
la est Absolutio.

DE INDE, periculosum etiam foret, si
quacunq; ex cauſā cuilibet, deserto suo Paro-
cho, alteri confiteri liceret, & totum per-
turbaret ordinem Ecclesiasticum, cūm hac
ratione quilibet facilē contra suum Paro-

L 5 chum

Caput VI. De Ministro

chum comminisci aliquid posset, ut hoc colore quæsito, ius, alium Confessarium querendi, sibi compararet.

In hoc ergo casu subditus ille nemini debet confiteri, sed perinde censere, ac si nullā haberet copiam Sacerdotis: Nam profectō necessitas illa non est maior; quām si proprius Sacerdos abiret, aut moreretur. Cū ergo tūc sine licentia Superioris nemini confiteri possit; idem est censendum, quando est periculum illi confitendi.

Quæstio Licetne ei confiteri, quo cum peccatum commissum est?

Respoſio. **L**icit quidem scrutatis seruandis, & esse potest fructuosa talis Confessio, quamquam erubescencia non esset tanta, quanta, si Confessio fieret alteri; quin etiam vix potest impudentia, & impudicitia excusari, quia appareret colloquium illi simile, quod sit extra Confessionem. Vbi verò periculū est excitandi & irritandi illecebram: Exempli gratia, vt si quicunq; peccator suo complici, vel concubina suo concubinario Sacerdoti confiteatur, sacrilegium etiam est impudentissimum; ideoque propter aliorum scandalum talis Confessio vix fieri potest.

Datne

Dātne ratihabitio Sacerdoti facultatem absoluendi?

Quæstio

XXVII.

DVplex est ratihabitio, vna de futuro; quando videlicet Episcopus postea cognoscit sufficientiam alicuius, & ratum habet, quod fecit; Verbi gratia: Ego non sum expositus ab Episcopo, vt audiam Confessiones; credo tamen, quod, si accederem eñi, & hoc nomine compellarem, potestatem illam audiendi Confessiones, mihi non negaret. Hæc ratihabitio non sufficit, quia essentia Sacramenti non pendet ex aliquo futuro; ac proinde ratihabitio non potest validum, aut inualidum facere Sacramentum.

Alia est ratihabitio de præsenti, putà, quia Episcopus de præsenti vult, vt audiam; licet mihi nihil dixerit; sed ego scio eius voluntatem, & hæc ratihabitio, dicunt aliqui, quod sufficit; quia Episcopus cōmittit vicem suā per voluntatem.

Ego nescio, an hoc sit; nam quamuis Iudex Ecclesiasticus liberè exerceat suā iurisdictionē, tamen quia hæc potestas est in foro Ecclesiastico, videtur quod non possit exercere illā iurisdictionem, nisi actu exteriori; sicut non posset Episcopus actu interiori excommunicare, vel absoluere, vt tenet probabilior, & verior opinio. Si ergo hoc verum est (vt ego credo) sequitur, quod per solam complacentiam Episcopus non potest communica-

L 6 re suam

Caput VI. De Ministro

re suam potestatem, cùm hoc sit uti iurisdictione.

Nulla igitur ratihabitio sufficit, tametsi videat & taceat Parochus aut Episcopus, ut integrum sit simplici Sacerdoti, aut Confessiones audire, aut absoluere: sed requiritur expressus Superioris cōsensus, cùm alteri sententiæ neq; ratio neq; vis, neq; (quod sciam) laudabilis vlla suffragetur Ecclesiastica consuetudo.

*Quæstio Posuntne habentes potestatem eligen-
di Confessarium, legitimè quibus-
libet confiteri?*

Respoſio. Tales eligere possunt, quoscumque volunt Confessarios; quia ad Absolutionē tantum duo requiruntur, Videlicet, Potestas ordinis, & Iurisdictionis, cùmq; Potestatem ordinis quilibet Sacerdos habeat, potestatem Iurisdictionis tum is ipse concedit, qui concessit priuilegium; & sic poenitentes nō eligunt eum, qui est Confessarius, sed per electionem propriam, si antea non erat, faciunt Confessarium; sicut cùm eligitur Episcopus, non eligitur ille, qui erat Episcopus, sed qui non erat, eligitur in Episcopum.

Ratio huius manifesta est, quia in hoc solo differt Sacerdos habens iurisdictionem à non habente, quod ille habet materiam, hic autem non; & huic nihil aliud deficit ad hoc ut possit absoluere, nisi materia circa quam exerceat

exerceat potestatem , quam accepit , dum fuit ordinatus. Cùm ergo recipienti Bullas, detur potestas subiiciendi se , cui voluerit , iam talis Sacerdos electus habet materiam & iurisdictionem circa illam , vnde nihil sibi deficit.

Sed quamvis prædicta doctrina fuerit ante Concilium Tridentinum inter Doctores triuialis , multumque recepta , iam tamen post prædicti Concilij determinatione Sessione Vigesima tertia Capite decimo quinto reformationis , nullus est idoneus ad Confessiones audiendas reputandus , nisi beneficium parochiale habeat , aut ab Episcopis per examen (si illis videbitur necessarium) aut alias idoneus iudicetur , & approbationem ab eis obtineat .

*Potestne Parochus & curatus unius
Episcopatus sibi subditum audire
in alio Episcopatu?*

*Quæstio
XXIX.*

PAROchus potest suos parochianos vbi cunque terrarum , etiam extra Diœcesim , audire & absoluere ; quia fit sine strepitu iudicij , & nemini vlla irrogatur iniuria . Similiter etiam Religiosus , qui facultatem habet sui Prælati Religiosorum Confessiones audiendi , quemcunq; subditum sui Conuentus potest vbicunque terrarum absolvire , præterquam à casibus reseruatis . Et sic , quan-

Respoſio

L 7 do duo

Caput VI. De Ministro

do duo fratres de licentia Prælati peregrinatur, possunt se mutuo absoluere; etiam cùm peruenient ad alium Episcopatum,

Quæstio Potestne curam animarū habens, an-
XXX. *tequam sit Sacerdos, commissionem*
eligendi Confessarium dare?

Respōsio. POTEST, vel hoc nomine, quia titulum
habet.

Quæstio Potestne excommunicatus Parochus fa-
XXXI. *cere copiā eligendi Confessarium?*

Respōsio. Non potest, quia commissio illa est actus
iurisdictionis, qua caret excommunicatus, probabile tamen est, commissionem
talem legitimè factā, superueniente postea
excommunicatione, durare, quia illum actū
fecerat legitimē.

Quæstio Teneturne Parochus subditorum suo-
XXXII. *rum Cōfessiones non solum in Quadra-*
gesima, sed etiam extra eam, quoties
scilicet illi confiteri velint,
audire?

Respōsio. Vbiū non est, quin Parochus subdi-
torum suorum Confessiones eo tem-
pore, quando videlicet ipsi cōfiteri tenētur,
utpote semel in Anno, & in articulo mor-
tis ne-

tis necessariò audire cogatur. Sed & extra illos casus necessitatis plurimùm congruit, decetq; Parochum, ne hac in parte ouibus sibi commissis vlo vnquam tempore dèsit, aut in se aliquid iure merito desiderari patiatur. Idque probatur.

PRIMO ex parabola Talentorum, quæ seruis erant commissa; vbi seruus, qui non reddidit Domino talentum, reprehēditur, & in tenebras exteriores eiici iubetur. Matth. 26. Talis videtur Parochius, cui Dominus potestatem spiritualem simul & curam ouium cōmisit, vt illis Sacraenta ministraret. Nec videtur satisfacere Parochus, si tempore necessitatis solùm ea ministret; quia hoc non est talentum acceptum Domino cura v̄sura reddere, si non vltra tempus necessitatis aliquid Domino lucrifecerit.

SECVNDO, non minùs tenetur Parochus suis subditis in spiritualibus prouidere, quam tenetur pater carnalis suis filiis in temporalibus: Vtriue enim cura commissa est; huic corporis; illi verò animæ subditi: Sed carnalis pater non solùm tene-
tur filiis ministrare cibum necessarium ad hoc, vt filius ad debitam magnitudinē perueniat; igitur & Parochus tenetur, non solùm tempore necessitatis Sacraenta suis subditis ministrare, sed etiam extra huiusmodi necessitatem, vt anima ad debitū, & cōueniens perueniat spirituale augmentū.

TER.

Caput VI. De Ministro

TERTIO, quia subditus habet ius p-
rendi à Parocho suo, quoties velit, ut eum in
Confessione audiat; & eidem confessio, Sa-
cramentum Absolutionis impendat; Igitur
è contrà Parochus tenebitur subdito hoc Sa-
cramentum ministrare, quoties requiratur.
Patet totum à simili; quia si vxor habet ius
petendi à marito, quoties velit, debitum cō-
iugale, & è contrà maritus toties tenetur ei-
dem postulanti reddere, vbi non ad sit legi-
tima excusatio. Quidni & Parochus ad quā
libet subditi necessitatem teneatur impen-
dere Absolutionis Sacramentum.

QVARTO, idem probatur ex obliga-
tione, qua Parochus ratione officij eidem
iniuncti, tenetur solicitus esse pro ouibus ei-
dem commissis, iuxta illud Ezechielis: Vz
Pastoribus Israël, qui pascebant semetiplos,
nōnne greges à Pastoribus pascuntur? Lac
comedebatis, & lanis operiebamini. Et se-
quitur: Quod infirmum fuit, non consoli-
dāstis: quod ægrotum, non sanāstis; quod con-
fractum est, non alligāstis; & quod pe-
rierat, non quæsistis &c. Ex quibus colligi-
tur, Parochos obligatos esse pascere gregem
eis commissum, non solum quando sunt in
necessitate, sed extrà, si aliqua ouis sit con-
fracta, si ægra &c.

Igitur cùm peccator confractus sit, & æ-
grotus per peccatum à se commissum, sequi-
tur **Parochum non excusari** à peccato mor-
tali, si

Ezech. 34.

tali, si quoties petierit subditus sanari, & cōsolidari, Sacramentum Pœnitentiæ ab eodem petitum non ministretur.

POSTREMO comprobatur, quia si Parochus non habet legitimam excusationem negandi Sacramentum, videtur agere contra charitatem proximi, cum præferat suam quietem corporalem, tanto bono spirituali proximi, quantum ex tali Confessione esset illi euenturum; imò fortè per Confessionem à peccato ad gratiam resurgeret virtute Sacramenti, ad quam cordis Pœnitentia, quam habet, illi non sufficit. Et ita negatio huius Sacramenti illi cederet in perniciem animæ. Multò rectius itaque faciet, si quocunq; tempore subditis suis peccata sua cōfiteri volentibus, semper se promptum & paratissimum exhibuerit; quamvis suis intentus negotiis, pœnitentē neglexerit; nisi fortè causis magni momenti impeditus, pœnitentem audire nequeat. In quo casu facilis esse debet in concedenda facultate, alteri confitendi.

Qualisnam Confessarius esse debet?

Quæstio

XXXIII.

CONFESSARIO, vt rectè & securè suo fungatur officio, quinque necessaria sunt.

PRIMO, scientia, vt à non peccatis peccata & mortalia in communi, vel ex genere à venialibus discernere queat; in quibus tamen

Respoſio.

Caput VI. De Ministro

men nonnunquam cùm dubium occurrit,
peritiores consulere potest.

S E C V N D O Potestas triplex: Prima ordinis, vt videlicet fit Sacerdos: Secunda iurisdictionis ordinaria, vel delegata, vt scilicet facultas ab eo, qui potest, ei concedatur: Tertiò quoad usum, ne scilicet sit excommunicatus, suspensus, vel irregularis.

T E R T I O Bonitas: Qui enim in peccato mortali audiret Confessiones, mortali-
ter peccaret, vice versa, quò ipse melior, &
in omnibus virtutibus, præcipue in charitate fraternali, & Zelo animarum eminentior fuerit, eò aptius erit instrumentum Diuinæ bonitatis, vt per ipsum dignetur poenitenti pleniùs Sacramenti effectum, cum gratiæ ac virtutum incremento præstare,

Ad bonitatem pertinet, vt sit compositus exterius & interius, qui Confessiones audi; exterius quidem, vt nihil videatur in vultu & gestibus, vel motibus corporis, vel etiam in vestitu, nec in voce audiatur, quod non deceat virum maturum, & qui meminit se locum DE Iteneri.

Interius verò vt considerando, cuius vices gerat, tanquam in eius oculis cum reverentia & timore sancto, hoc officium peragat, & humiliter de se sentiens, in corde suo confitentes sibi præferat, ac se meliores existimet.

Q V A R T O prudentia, qua utatur cùm erga

erga pœnitentem in eius vulneribus medi-
ci more perscrutandis, ac medicina adhi-
benda, tūm erga seipsum cautè agendo in
iis interrogandis, quæ possent in tentatio-
nem adducere incautos.

QVIN TO, Secretum, de quo in sequen-
ti Capite agetur.

CAPVT VII.

De Secreto seu Sigillo *Confessionis.*

*Quidnam est Sigillum Con-
fessionis?*

*Quæstio
I.*

Sigillū Confessionis nihil aliud est, quam *Respoſio.*
obligatio ita celandi peccata, in Confes-
sione audita, & omnia alia, per quæ potest
peccatum, vel peccator deprehendi, siue Sa-
cerdos absoluat, siue non ; vt nulli vñquam
fas sit, ea manifestare.

Teneturne Sacerdos in omni casu hoc
sigillum Confessionis tenere? *Quæstio
II.*

Omnino tenetur, neque vñquam debet, *Respoſio.*
quocunq; præcepto humano interue-
niente, eam reuelare; quia peccata aliorū in
Confessione percipit, non vt priuata quædā
persona, neque vt ipſemet, sed tanquam is,
qui